



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

13. Obedientia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS XIII.

Obedientia.

TEXTUS.

Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ad Hebr. c. 13. v. 17.

Cognitio.

Obedientia est virtus moralis, hominem promptum efficiens ad præstandam voluntatem, vel præceptum Superioris. S. Thom. 2. 2 q. 104. a. 2.

Actus & species sunt:

1. *Obedientia prompta*, exequendo Superioris jussa, si peccatum manifestum non contineant, promptè.
2. *Obedientia universalis*, est obedire in omnibus, etiam nostræ voluntati & inclinationi contrariis.
3. *Obedientia hilaris*, est, voluntatem nostram abnegare, & Superiori subicere libenter & hilariter.
4. *Obedientia simplex & cæca* est, iudicium proprium iudicio Superioris submittere, nec inquirere causas, sed

- simpliciter sequi, veluti ovicula pasto-
rem. Si quid verò in contrarium oc-
currat, rationes adhibere, quæ præ-
ceptum conveniens esse, convincant.
5. Obedientia fortis & heroica elucet in
arduis ac difficilibus, quamvis verbis
asperis mandentur, & absque spe gra-
titudinis, tamen si Superiores minus
docti, & minoribus Dei donis instructi
videntur.
 6. *Obedientia muta*, absque omni excusa-
tione & replica, sive verbo, sive scri-
pto: quamvis si causa adsit, id pro-
hibitum non sit.
 7. *Obedientia humilis*, est, Superiori de-
missè obedire, ac sola etiam volunta-
tis ejus indicia exequi, licet nihil cau-
sæ habeat vel ostendat.
 8. *Obedientia indifferens*, quasi in æquili-
brio consistens, & ad utramque partem
æquè paratam se exhibens, sive sint
officia honorifica, sive vilia, sive gustui
proprio accommodata, sive contraria;
imò ob exemplum & imitationem
Christi Domini, in hæc magis pro-
pendet.

Consideratio.

O quis obedientiam perfectam non toto
corde complecti studeat, si eam, tanquam
lignum

lignum vitæ, duodecim fructus præstantif-
 simos proferentem, intreatur? Est enim
 I. Lignum vitæ spiritualis & beatæ. II. Or-
 namentum est, hominem Deo gratissimum
 efficiens. III. Est decus, nos Christo si-
 millimos & acceptissimos reddens. IV. Est
 cultus gratissimus B. M. V. & purum San-
 ctis obsequium. V. Est in Superioribus,
 ac sociis æqualibus amoris incentivum.
 VI. Est victoriæ de vitis reportandæ aptis-
 simum medium. VII. Est virtutes ac-
 quirendi efficacissimum subsidium. VIII.
 Est salutis proximorum procurandæ præ-
 clarissimum instrumentum. IX. Est lucu-
 lentum prædestinationis signum. X. Op-
 portunum ad merita augenda adminiculum.
 XI. Lætitiæ spiritualis radix & principium.
 XII. Adversus omnia corporis animæque
 mala scutum & amuletum. Jube igitur
 Domine, quod libet, præcipe per Superio-
 res, manda, remanda; ecce paratissimum
 ad omnia: *Domine, quid me vis facere?*

Petitio.

Domine JESU Christe, per illam obedi-
 entiam, prorsus stupendam, quâ Patri us-
 que ad mortem crucis obediens extitisti; da
 mihi obedientiam perfectam, quâ in omni-
 bus, libenter, simpliciter, humiliter, ve-
 lociter, hilariter, fortiter, indifferenter,

cœcè ac perseveranter, Superioribus, tanquam Tibi ipsi obediam; præmiâque & victoriam obtineam: nam *vir obediens loquetur victorias*. Proverb. c. 21. 28.

Aspirationes.

I. Domine, quid me vis facere? Act. c. 9.

II. Disce obtemperare pulvis, disce te humiliare terra & cinis, & sub omnium pedibus incurvare: disce voluntates tuas frangere, & ad omnem subjectionem te dare. Tho. Kemp. L. 3. c. 13.

III. Orna me Domine perfectâ obedientiâ; quæ melior est, quàm victima!

PASSUS XIV.

Gratitudo.

TEXTUS.

Grati estote. Ad Coloss. c. 3. 15.

Cognitio.

Gratitudo est virtus, quâ beneficia ab alio accepta cognoscimus, laudamus, & pro viribus compensare conamur.

Actus.